

SPECIMINA ZOOLOGICA MOSAMBICANA

QUIBUS
VEL NOVAE VEL MINUS NOTAE
ANIMALIUM SPECIES
ILLUSTRANTUR

CURA

J. JOSEPHI BIANCONI

CUM FIGURIS COLOR. -- BONONIAE 1850. -- 4.to

Prospectus

Jam ab anno 1847. Eq. Carolus Fornasinius Bononiensis in Patriam misit Animalia nonnulla ex Africa orientali, ac speciatim ex Prasso, seu Mosambica (vulgo *le Mozambique*). Ut primum inspecta sunt illico patuit quanti essent facienda; plura enim species inducebant novas, et reliqua licet ante innotescerent, tamen ut plurimum erant rarissima. Ex quo factum est ut alia aliis vir egregius superadderet, et in dies seriem animalium, ferme ex quavis Classe, augeret. Horum illustrationem J. Jos. Bianconius confestim aggressus in Academia

315

**SPECIMINA ZOOLOGICA
MOSAMBICANA**



FASCICULUS VII.

Praecedentibus annis verba feci de Animalibus quibus-dam, quae Eq. Karolus Fornasinius nobis e Mosambico misit: et sive jam nota enumeravi, sive adhuc ignota pro viribus illustravi. Sermo autem meus praesertim ver-satus hucusque est circa Aves, Reptilia, Mollusca, et Crustacea. Licet nonnulla alia harum classium animalia adhuc illustranda maneant, tamen de Mammalibus quae-dam dicenda sunt; nam et Mammifera, licet non multa, misit nobis vir ille incomparabilis.

De Mammalibus.

Ordo II.

***Otolicus Crassicaudatus.* Geoffr.**

Haud vulgaris hujus animalis descriptio traditur a Geoffroy St. Hilaire (1), quae individuo nostro Mosambicano optime quadrat. Dimensiones ejus hae sunt

(1) *Annales du Muséum.* T. 19.

loci similitudine, et ex notâ ventris albidi, quam nomen ipsum indicat.

Helamys caffer. Fr. Cuv.

(*Gerbua capensis* Sparm. -- *Dipus cafer*. Gmel.)

Fornasinius duo hujusce speciei animalia misit ex Mosambico, unum adlustum (pellis tantummodo) aliud junius et integrum in alcoole servatum. Adnotat ille, mammiferum hoc rodens a Caffris *Xengue* nuncupari. (In Epistolis 6. Apr. 1848).

Junior haec exhibet. Color supra dorsum satis intensus fuscus. Linea pilorum nigricantium longiorum in latere externo est. Circa oculos color albidus est. Partes quae a Fr. Cuvierio (1) albae dicuntur, in hoc pallide flavescent. Auriculae in superiori parte vix pilosae, griseae. Anatomen hujus speciei a Sparmann (2), et a Fr. Cuvier (3) incoamat, explendam amicus meus Professor Calori comiter assumpsit (4).

Ordo VII. *Pachydermata*.

Phacochoerus africanus Fr. Cuv.

(*Sus. aethiopicus*. Gmel.)

Duos dentes caninos superiores accepimus a Fornasinio insignis magnitudinis, et valde revolutos. Dimensis, longitud eorum est Pedis unius et Pollicum 1. 2. -- Ambitus maximus poll. 4. lin. 6. -- Ruppellius describit (Reise pag. 61. ad Tab. 29) *Phacochoerum Aelianum*. At ope tantum dentium non queo dicere an sit proximus hic noster illi ab eo descripto.

(1) Histoire natur. des Mammif.

(2) Transact. Soc. Roy. de Suede 1778.

(3) Dict. d. Sc. Natr. art. *Helamys*.

(4) Vide Fascic. VIII.

Rhinoceros Bicornis. Cuv.

Duo cornua haerentia crassissimo dermati. Horum anterius longum Pedes 1. 6. 7. conicum apice leviter recurvo; posterius longum poll. 6. 4. compressum erectum. Quapropter varietas *Brucei* esse posset, si caeteri characteres adessent. At nescimus de cute corporis, de dimensionibus etc.

Imposterum de Piscibus sermo erit.

EXPLICATIO TABULARUM.

Mammalia Tabula 1.^a

- Fig. 1.^a Cynopteres marginatus. Fr. Cuv.*
» 2.^a » » *dentes incisivi et canini.*
» 3.^a » » *dentes canini et molares.*

Mammalia Tab. 2.^a

- Fig. 1.^a Nyctinomus tenuis. Horsf.*
» 2.^a » » *caput.*

Bononiae die 3. Martii 1853.